



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Praeceptvm Caroli Crassi Regis Et Imperatoris, Qvo Ecclesiae Cabilonensi
canonica episcoporum suorum electio concessa est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

clerus & populus iam dictum diaconem expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile iudicaret rescribere maturaret: sed is priori inobedientia contumaciam adiiciens, non solum oblatum consecravit, seu quid in eo reprehensibile iudicaret sibi rescribere contempserit, verum etiam contra interdicta, & sacrorum Canonum statuta quemdam extraneum, & eidem ecclesie ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere niti presumpserit. At hi potius laborem subire quam subiici ignoto eligentes ad se redierunt, implorantes ne pateretur ecclesiastica iura violari.

PRÆCEPTVM
CAROLI CRASSI REGIS
ET IMPERATORIS, QVO ECCLESIE
Cabilonensi canonica episcoporum suorum
electio concessa est.

*In nomine sanctæ & individuae Trinitatis, Carolus diuina
fauente clementia imperator Augustus.*

Sia quæ diuinis conueniunt auctoritatibus præcepto nostræ altitudinis confirmamus, supernâ ob id gratiam promereri nullo modo dubitamus. Quocirca omnibus sanctæ ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus & futuris, notum esse volumus, quod venerabilis Agilmarus Aruernorum præsul, adiens genua serenitatis nostræ, innotuit quoniam Girboldus Cabilonensis ecclesiæ venerabilis antistes & reuerendus, infirmitate iam simulque senio confectus, non modicum metu sui obitus ciuibus & filiis ecclesiæ suæ inferret dolorem. Itaque nostram humiliter deprecatus est dominationem, vt præfatæ ecclesiæ canonicam electionem concedere deberemus. Placuit ergo nobis saluberrimæ acquiescere postulationi. Decernimus igitur, & pro Dei amore hoc eidem concedimus, vt obeunte pastore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem. Hoc denique, quod diuino amore concessimus, nostro imperiali præcepto confirmauimus, & annulo nostro insigniri iussimus.

Signum Caroli serenissimi Augusti.

Salomon notarius ad vicem Liutvardi archicancellarii recognoui, & subsignaui. Datum pridie Idus Iunii, anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXV. anno vero regni domni Caroli imperatoris VIII. imperii vero V. Actum apud Gundulfi villam, in Dei nomine feliciter. Amen.

Concil. Tom. 24.

Yyy